



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. De ijs, qui suo, vel alieno nomine postulare possunt, vel non possunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

nomen sapius à vulgo confundatur, magna tamen inter utrosque est differentia; Advocatus enim propriè loquendo est, qui pro altero in iudicio præsentè, causam illius agit, patrocinium ac defensionem præstat; Procurator verò absentis litem prosequitur: teneretur etiam Procurator nomine mandati, si cum parte colludat; Advocatus verò non ex mandato conveniri potest, si rem malè agat, sed de prævaricatione; Procurator post litem contestationem fit Dominus litem, quoad illam instantiam, non autem Advocatus; Advocati Officium nobile est, publicum, honorificum, multis gaudens privilegiis, Procuratoris verò officium vile est, ac onerosum, &c.

Dare autem debet partibus litigantibus Advocatos, qui eorum patrocinium suscipiant, Iudex, coram quo litigatur, si tales Advocati à partibus petantur, vel etiam si non petant partes, miserabiles tamen sint, quæ faciliè à contrariâ parte opprimi possunt, ita ut salarium ex publico etiam Advocato numerandum sit, si Clientis pauper sit, prout de his omnibus statuunt etiam jura Civilia.

## §. II.

*De iis, qui suo, vel alieno nomine postulare possunt, vel non possunt.*

Dicto juris postulare prohibentur, qui minores sunt 17. annis ob iudicii infirmitatem; surdus, qui omnino non audit, & plures alij de jure Civili in certis aliquibus causis postulare prohibentur, de quibus Civilitatè. De jure Canonico Clerici in majoribus constituti, vel etiam in minoribus constitui Beneficiati tamen non possunt esse Advocati ad lites.

*Compend. Pirhing.*

c. 1 & 3. h. t. & in causis secularibus coram Iudice seculari, nisi vel propriam suam causam, vel Ecclesiæ suæ prosequantur, vel miserabiles personas defendant: quia prohibetur universim Clericis his ob dignitatem statûs, vel quòd ab Ecclesiâ sufficientem sustentationem habeant, immiscere se negotiis secularibus, & nocere non debeat Sacerdos, cujus est omnibus prodesse. Et hinc quamvis non Sacerdotes Clerici possint esse in causis etiam secularibus coram Iudice Ecclesiastico Advocati, prout ex relat. c. 1. à contrario sensu colligitur, & in causis Ecclesiasticis coram Iudice etiam seculari, Sacerdotes tamen neque in Tribunali Ecclesiastico Advocatos agere possunt, nisi suam, vel Ecclesiæ suæ causam agant, vel necessitas aliud exigat in casu conjunctarum vel miserabilium personarum, vel ipsius Clerici Sacerdotis, nullam aliunde sustentationem habentis. Quod ipsum Monachis etiam, & aliis Religiosis prohibitum est, ut patet ex c. Ex parte 2. h. t. Nisi utilitas Monasterij & Superioris mandatum sive licentia aliud jubeant.

## §. III.

*De Officio, & obligatione Advocati, & effectu postulationis.*

Officium Advocati est, ut merita causæ pandat, sive ut omnia, quæ ad causam clientis sui, sive de jure, sive de facto faciunt, in iudicio proponat, & ambigua facta, seu fines eorum dirimat, ab injuria, probris, & convitiis abstineat; lites ex industria non protrahat; nullam falsam legem instrumenta testes, &c. pro veris alleget; nec suscipiat causam injuriam defendendam; nec dilationes non

Cc

necef-